

Continuo auditae voces, vagitus et ingens,
infantumque animae flentes, in limine primo
quos dulcis vitae exsortis et ab ubere raptos
abstulit atra dies et funere mersit acerbo.
hos iuxta falso damnati crimine mortis.

nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes:
quaesitor Minos urnam movet, ille silentum
consiliumque vocat vitasque et crima discit.
proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
insontes peperere manu luemque perosi
proiecere animas. quam vellent aethere in alto
nunc et pauperiem et duros perferre labores!
fas obstat, tristisque palus inamabilis undae
alligat et novies Styx interfusa coercet.
nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem 440
lugentes campi; sic illos nomine dicunt.
hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
secreti celant calles et myrtlea circum
silva tegit; curae non ipsa in morte relinquont.
his Phaedram Procrimque locis maestamque Eriphylen 445
crudelis nati monstrantem volnera oernit
Euadnenque et Pasiphaen; his Laodamia
it comes, et iuvenis quondam, nunc femina Caeneus
rursus et in veterem fato revoluta figuram.
inter quas Phoenissa recens a volnere Dido
errabat silva in magna. quam Troius heros
ut primum iuxta stetit adgnovitque per umbras
obscuram, qualem primo qui surgere mense
aut videt aut vidisse putat per nubila lunam,
demisit lacrimas dulcique adfatus amore est:
'infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
venerat extinctam ferroque extrema secutam;
funeris heu tibi causa fui! per sidera iuro,
per superos et si qua fides tellure sub ima est:
invitus, regina, tuo de litore oessi.
sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
per loca senta situ cogunt noctemque profundam,